# DE
# AURIUM MORBIS NERVOSIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VII. M. APRILIS A. MDCCCXLVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**GUILELMUS ZIEGEL**
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. NEUMANN, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
C. HERZER, MED. ET CHIR. DR.
G. RIEDEL, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

FR. HENR. ALEXANDRO BERG

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO GUSOVII

NEC MINUS

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Paucis cum medicinae partibus pathologiae aurium accidit, ut per multa secula negligeretur, quum artes neque anatomicae nec physiologicae certi quidquam de auris internae constructione ac de sonorum perceptione invenirent, quibus ex caussis una cum superstitione illa, *ἀέρα ἐμφυὴν* quendam in tympani cavitatibus conspiciente, neque ex ratione neque ex experientia orta cognitio et therapia hujus organi morbos curare poterat. Inter omnes primus Duvernoy [1]) excellentissima organi acustici descriptione atque affectionum pathologicarum diligentissima explicatione impedimenta omnia removebat, quae dum affuissent, posteriores medici, anatomici, physiologi in tota via cognoscendorum morborum aurium semper erravissent. Postea Itard et Saissy in Francogallia, tum hac aetate Kramer Berolini

[1]) Guichard Jos. du Vernay, Traité de l'organe de l'ouïe, contenant la structure, les usages et les maladies de toutes les parties de l'oreille. Paris. 1683. 12.

maximam laudem sibi quaerentes studiis summis veri reperiendi, permulta reperiebant. Quorum primus [1]) in libro de aurium morbis non solum totius usque ad suam aetatem de hac re scientiae historiam praeclaram, sed etiam auris anatomiam accuratam scripsit; quamvis animum nostrum minime fugere possit, si omnia ab eo atque a posterioribus eadem de re scripta perlustremus, fere nullos impositos esse exitus diagnosi et therapiae morborum nervosorum, praesertim quum medicorum inter hypothesin veritatemque suspensos animos tamen virtute sua stare crederent. Nescio quidem, an miserius contingere possit aegrotis, quam ut de morbi sui gradu in errore versentur: at nullam capere utilitatem medicum e morbi ignoratione sive e therapiae eventu falso, semper contendam. Id quidem saepissime evenit; numquam autem aegri salus majus in periculum discrimenque vocatur, quam ludibriis, quae sensus et medicis et invalidis ferunt. Quis est, qui ignoret oculorum auriumque mendacia? quis ab illis permoleste non vexatus sit? Quo tamen facilius pericula oculorum scientia atque experientia defendi posse videntur, eo majoribus strepunt clamoribus aures contemptis omnibus remediis. Etenim bene scit homo, quae videat et quantum videat, sed numquam certe, quae audiat et quantum audiat.

---

[1]) J. M. G. Itard, Traité des maladies de l'oreille et de l'audition. 2 Voll. Paris 1821. 8.

Kramer [1]) quidem — quae maxima ejus est gloria — in libro quodam ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodato studiosissime intendebat, ut hominibus superstitione opinionibusque corruptis fere omnium auris morborum salutem probaret enumerandis suis curis secundis: sunt tamen permulti surdi, quibus et ille et alii medici triste majoris sanationis desiderium reliquerint.

In decursu hujus dissertatiunculae, qua morborum auris nervosorum scientia exponenda, quibus exemplis dicta illa probari possint, intelligemus.

---

[1]) Dr. W. Kramer, Die Heilbarkeit der Taubheit. Berl. 1842. 8.

Auris affectiones nervosae sunt hae:

1. Dolores, quos dicunt otalgiam.
2. Audiendi gravitas, tarditas, dicta baryecoia seu dysecoia, surditas seu cophosis.
3. Paracusis et hypercusis, id est depravatio quaedam auditus, ubi soni aut duplicati aut alienati quodammodo reddi videntur.

## I. DE OTALGIA.

Dolores ex affectione idiopathica nervorum ortos vehementissimos esse inter omnes satis constat. Symptomatibus inflammationis minime praesentibus ita a ceteris differunt, ut facile dignosci possint. Sedent in peripheria systematis nervosi, surgunt graves ardentesque, redeunt paroxysmis; longum per tempus affecti nervi denique inflammationem in regionibus proximis et carcinoma atque ipsam mortem efficere solent. Si vero quaerimus, num in auribus quoque neuralgiae exsistere possint, Kramer[1]) summo cum studio id negasse respondendum,

---

[1]) Dr. W. Kramer, Erkenntnifs und Heilung der Ohrenkrankheiten. Berlin 1838. 8.

quippe qui tum, quum medici se otalgiam observasse crediderint, nihil aliud nisi meatus auditorii vel membranae tympani inflammationem fuisse caussam occultam dixerit.

Tamen Itard, Beck atque etiam Galenus jam dolores auris descripserunt neque unquam eos in dubium vocasse videntur. Nam quae sunt res, quarum caussa negentur? Quamvis nervum acusticum tali modo affici non posse concedendum nobis sit, nescio quid esse putet Kramer, cur aut chorda tympani, aut alii trigemini ramuli acustici dolorem non capiant. Qua de re Itard quidem nihil certi affert, etenim et nervorum et membranarum affectione eodem modo productam otalgiam dicit, quae imprimis prosopalgia et hemicrania, tum corporibus alienis in meatu auditorio externo vel interno dentibus cariosis, tumoribus efficiatur. Demonstrat igitur, ferme nihil sua interesse, ut accurate hanc neuralgiam definiat, quam ob rem haud in magno discrimine doloris therapiam ponit. Contra hanc levitatem Beck inflammationem quandam observari debere recte ait, quum membranae affectae sint; levem autem irritationem tam graves dolores efficere non posse.

Duvernoy quoque, qui scientiam quidem de intumescentia oedematode nervorum in neuralgiis, sed minime, in quibus caussas esse volebat, ratione cognitas eorum obstructionem compressionemque habebat, dolores aurium numerat, originem vero quaerens in frigoris et caloris vi, qua cerumen aut

induretur, aut liquefiat. Veram autem otalgiam minime videtur cognosse.

Permulti sunt scriptores, qui hoc nomine morbos otalgiae plane contrarios referant, quum illorum symptomata vel inflammationes vel destructiones clare notent.

Quamvis Kramer, vir ille sagax, nullam exsistere otalgiam putet, tamen non solum ex omnibus supra dictis eam esse videmus, verum etiam pro certo habeo, eadem affectos homines raro adire medicum, aut quod ipsi sese defendant contra morbum, aut negligentia quadam permotos; levioribus enim doloribus simplicibusve vexatos atque alius mali symptomatibus egentes remissionem neuralgiarum minoris momenti otalgiae signum putare, vel medicamentis antirrheumaticis vulgo probatis sese ipsos curare.

Attamen necesse esse mihi videtur, quaecunque de symptomatibus, caussis, decursu, therapia otalgiae usque ad nostrum tempus cognita sint, breviter exponi.

Fere subito otalgia surgit, vehementissimis cum doloribus inchoans, aut brevi tempore ad summum eorum gradum evehens. Item subito cessat et ita quidem, ut redeat paullo post sive in aure sive in alia capitis parte. Neque inflammationes, nec tumores meatus auditorii seu conchae, nec rubores nec tympani membrana non pellucida adsunt, sed veluti rejecta in regiones proximas affectio oculum

rubrum et temporum genaeque dolores commovet. Quin etiam deliria ac convulsiones eam gravem consequi traduntur. Quod nescio equidem an verum sit.

Neque certo affirmari potest, quum perpauca minimeque accurata exempla praesto sint, ut in ceteris neuralgiis, conchae vel meatus auditorii calorem minutum esse, quibus de rebus nihil dicit Itard. Susurrum autem tinnitumque semper otalgiam comitari, baryecoiam vel completam surditatem eam sequi et ab illo et a Beck narratur. Dixerint nonnulli, hunc erethismum in nervo acustico magis, quam in chorda tympani quaerendum esse; sed non dubito negare et haec et illa a Beck dicta, rejectam quasi esse affectionem a chorda in nervum acusticum atque ita fieri strepitum auditus, surditatis vero causam functionem impeditam musculorum esse. Nam maximum pathologiae periculum faciunt illi, qui dignoscendi cupiditate ardentes doloris simplicis causam morbique omnis interni sedem licenter constituere volunt — quamquam tanta hujus rei imprudentia nobis non est, quantam Rademacher existimat — itaque nec Beck neque alii scriptores, dum sumus his inclusi compagibus humanae imbecillitatis, certiores nos facere de his propositis possunt. Quamnam vero utilitatem capiat therapia ex harum rerum scientia? Quantum profecerint medici in nervorum aegrorum cura? Maximam nobis attulerunt admirationem errata eorum, qui in nervorum motoriorum sectione sanationem doloris nervi

sensitivi quaerebant, nihil nisi musculorum immobilitatem efficientes. Neque alii nervos sensitivos in neuralgiis scalpello secantes ullum aegroto auxilium praebebant.

Causae otalgiae praecipue affectiones rheumaticae esse videntur, nam, ut supra jam dictum, saepe faciei, oris, pharyngis mala rheumatica simul cum ea conspiciuntur. Quicunque in haemorrhoides, hysteriam, hypochondriam, menstruationem irregularem inclinant, eis ad hunc morbum magna dispositio est.

Prognosis opportuna: otalgia saepe sine ullo remedio cessare, raro per longum tempus remanere dicitur.

De cura pauca cognita sunt. A circulatoribus et pharmacopolis multa inutilia remedia vendebantur, quibus ipsis saepenumero venenum atque aliae materiae perniciosissimae immiscebantur. Tamen medici illustres semper iis abstinebant. Jam antiquissimis temporibus usos esse pathologos narcoticis instillationibus ferunt, in quibus Galenus et Itard aliique maximum vitae periculum videbant, ita ut opium, si res postulasset, emplastri sola forma post concham applicatum reciperent. Omnium tamen diligentissimam therapiam Itard scripsit, in qua haec tradit de otalgiae idiopathicae cura: Caput per horae quadrantem aqua calida lavetur; quo facto ut exhalationis frigus removeatur, crinis subito panno laneo percalido fricetur usque ad totam capitis siccitatem; tum obducatur ei mitra quaedam, antea in

loco calido posita. Quibus sunt crines longissimi, illis involvantur temporum genaeque regiones cataplasmate ex aconito et lini seminis farina composito atque lacte cocto. Vaporationes aut una cum illis medicamentis, aut solae adhibeantur et quidem ita receptae:

*Rp.* Liqu. anodyni Hoffmanni ʒiij
solve in
Aquae ℥β

Mixta haec et jactata in vitro quodam medicinali ponas in aqua calida. Vapores ita parati ducantur in meatum auditorium externum intime impositum in vitri ostio, donec odores percipiantur.

Quibus remediis Itard celerrimum ferebat auxilium contra dolores gravissimos. Etiam quo vulgo utuntur homines, saponem nigrum adhibebat applicatum temporibus. Dum haec omnia utilitatem ferant, cauteria improbanda esse dicit, sed quum minime juvent, infundi in meatum auditorium externum lac cum lini semine seu balsamis sedativis coctum, sive dari remedia narcotica. Nihil boni ex balneis vidit.

## II. DE SURDITATE NERVOSA.

Nervosa surditas, dysecoia, baryecoia, cophosis dicta, inter omnes aurium morbos medicis plurimam diligentiam onusque et studium ac summum emolumentum attulit, quia non solum saepissime praeter

cetera mala auditus videtur, verum etiam aegris maximam molestiam exhibet.

Quaeritur saepe, utrum visus an auditus depravatio facilius tolerari possit; num surdus, an myops longius a vitae voluptatibus et ab hominum societate removeatur. Ut praetermittam, mali gradu remotionis quasi spatium circumscribi atque oculos perspicillis adjuvari, id mihi dubitari non posse videtur, quin myopia et surditas in eodem circulo versentur et in invalidi eruditione tantum auxilium quoddam seu commodum quaerendum sit. An non eadem incommoda sunt: surdus quod semper hominibus diffidat, myops quod minime circumspectius agere possit? Quam ob rem haud multum abest, quin hi eisdem, quibus illi, difficultatibus afficiantur, quocunque modo expediant proposita sua. Neque tota sensuum jactura surdus majus detrimentum capit, quam coecus, quia omnis sensus lingua quodammodo fieri potest, quae ceterorum ampliori cultura nos carere posse docet. Multa sunt hujus rei exempla, e quibus sive eruditione, sive consuetudine, sive usu, aut linguam aut oculum, aut auditum aut tactum aptius, prout quaeque postulentur ad res gerendas, recipi videmus. Ita fit, ut surdus idemque mutus omnium gravissimam faciat jacturam.

Baryecoia ex affectione apparatus sensitivi auditorii exorta vel in commutationibus structurae organi, vel in irritationibus dynamicis nititur, quarum

priores sane propter sedem abditam auris internae nobis cognitae non sunt.

Permultum disputabatur de communibus bariecoiae nervosae symptomatibus, neque omnia a plurimis fere medicis de his rebus tentata hac aetate intra initium stant. Maximam certe auctoritatem haec Krameri dicta praebent: certi aliquid inspectione locali et manipulatione tantum constitui. Quo facto omnes partes auris, quae possunt inquiri, sanae inveniuntur. Attamen, pergit medicus ille, meatum auditorium externum apud nervoso-surdos paene semper siccum, sive cerumine squamoso seu in massis agglomerato, esse, cujus remotione aegri valetudo neque in melius, neque in pejus inclinetur. In primis casibus pruritum vehementem in meatu fieri solere, jam Itard exponit. Si per instrumentum quoddam aër in tubam Eustachii immittitur, aegri de magna auditus imbecillitate conqueruntur ac de capite quasi inflato, de mente praeclusa; quum susurrus affuit, tum valde augetur. Sed eadem sanus percipit, si ore nasoque clausis aërem in tubam mittit. Contra multo majoris momenti mihi surdorum audiendi facultas quasi aucta inter strepitus et clamores vehementes videtur, quamvis Kramer huic rei tantum aegrotorum verbis probatae nullam fidem habere velit. Verum in potestate medici ipsius est, ut experiatur, quanta sit ratio in aegri verbis; quod quum saepe fecerim, ipse illa a permultis scriptoribus enarrata minime in hypothesi, sed in

veritate niti probaturus sum. Ecce opinionem meam de re eadem: Audiendi enim facultatem auctam apud surdos, imprimis dum multi strepitus acuti et longinqui, ut curruum armorum crepitus, hominum colloquia et caetera, eodem tempore audiantur, invenimus, ubi sanis et verba et soni singuli difficilius cognosci videntur. Sonitus vero undae et in sanis et in aegris aequales aurem adeunt atque pari modo per omnes auris partes internas perducuntur, sed ab his minus perfecte, quam ab illis percipiuntur. Homines baryecoia affecti spatio quodam circumdantur, inter quod audiunt accurate, sed quum vox humana seu instrumenti cujusdam soni majore intervallo interjecto audiuntur, tum dignoscendi facultas magis magisque diminuitur. Si igitur, multo strepitu, vocem non procul sibi missam accurate percipiunt, id mihi solum auditus imbecillitate effici videtur, quae sonos amotiores intelligere non potest; etenim sani quoque vocem distincte audirent, nisi etiam ceterorum sonorum totum vigorem perciperent, quamobrem singuli in aure quasi oblitterantur. Ita sane fit, ut hi semper conquerantur de clamorum strepituumque molestia, dum illi minime affici videantur.

Postea in baryecoiae nervosae diagnosi id praecipue animadvertendum est, ut quibuscunque momentis nervi irritentur, hic quoque celerius admittantur propter acustici nervi jam diutius excitatam irritabilitatem, itaque symptomatum varietatem afferant, qua et medicus et aegrotus facile decipiatur.

Ad haec in baryecoia erethico-nervosa redituri sumus.

Malo per aliquod tempus remanente, auris nutritio, ceruminis secretio imminui, partium externarum sensibilitas, imprimis meatus auditorii externi, quin etiam genae auferri solet.

Distinguimus autem surditatem nervosam secundum gradum, causam, qualitatem.

De gradu et antiquis et posterioribus temporibus variae sententiae erant. Scriptores veteres surditatem completam et baryecoiam, ubi tantum soni proximi fortesque audiantur, cognoverunt. Quibus medici nostrae aetatis adjungunt illam audiendi facultatem, ubi soni quidem percipiuntur, tamen eorum qualitas minime dignoscitur. Itard surditatis nomine semper usus est, etsi eo omnes audiendi gradus complectitur. Haec ejus est auditus distinctio:

*a.* auditus sermonis.
*b.* „ vocis
*c.* „ sonorum
*d.* „ clamoris
*e.* cophosis completa.

Sed quum nullam utilitatem pathologicam seu therapeuticam ista divisio afferat, quia certi fines ei constitui non possunt, medicus illo clarissimus ipse eam minime dignam habebat, quae uberioribus verbis exponeretur. Verum surditatis pathologiam secundum causas diligenter descripsit, cujus studii

quidem nullum modum tenebat. Etenim decem et octo causas enarrat, quae sunt tales:

1. Surditas ex pyorrhoea
2. „ „ ulceratione et carie
3. „ „ sarcomatibus in meatu auditorio
4. „ „ concrementis in meatu
5. „ „ oblitteratione meatus
6. „ „ dilatatione meatus
7. „ „ condensatione membranae tympani
8. „ „ perforatione membranae tympani
9. „ „ disjunctione ossiculorum
10. „ „ obturatione tubae
11. „ „ imperforatione auris internae
12. „ „ congestione sanguinea in aure interna
13. „ „ compressione nervi acustici
14. „ „ paralysi nervi acustici
15. „ „ plethora
16. „ „ metastasi
17. „ „ diathesi
18. „ congenita.

Si hanc tabulam cum illis a Kramer et Berg[1]) conscriptis comparamus, fere maximum causarum numerum nihil nisi complicationes morbi nervosi, causas primarias vero aut ignotas aut rheumaticas inveniemus. Nam omnes ab Itard in opere majore

[1]) Fr. H. Alexander Berg, Doctor der Medicin u. Chirurgie, pract. Arzt u. Wundarzt zu Gusow. Beiträge zur Behandlung der nervösen Schwerhörigkeit mittelst eines neuen Apparates. Berlin 1845. 8.

relatae observationes id solum probant, has causas, quas primarias censere videtur, jam in prima inquisitione simul cum cophosi exstitisse. Vera nervorum affectionis causa omnino difficillime vel in perpaucis tantum casibus intelligi potest, quia aegri, quibus rebus morbi fieri soleant, raro sciunt, atque rheumatismus, coryza, arthritis, aliae dyscrasiae illi fontes sunt, e quibus ferme omnia corporis mala haurienda esse existimant. Ita fit, ut medico numquam apte respondeatur.

Simplicissime distinguatur surditas idiopathica, sympathica, metastatica, traumatica. De prima postea dicam, de secunda alio loco. Metastatica observatur saepe in morbillis, scarlatina, variolis, typho, arthritide, variis exanthematibus acutis, quando incaute curantur; traumatica in commotionibus cranii, quibus nervi rumpi dicuntur, et in vulneribus internarum auris partium.

Itard, Abercrombie aliique cophosin quandam e plethora seu aneurysmate arteriae auditoriae internae genitam arbitrantur, sed labyrinthi cavitates ita abditae sunt oculis et remotae ab ulla via, qua instrumenta inducantur, ut apud vivos certam diagnosin facere non possimus.

Affecto encephalo saepe nervorum acusticorum alienatio exsistit, comitantibus capitis doloribus, vertigine sensuum mentisque lassitudine.

Quod attinet ad momenta praedisponentia, ea sunt hereditaria; tum senectus, animi affectus de-

primentes, diarrhoeae, humorum jactura, alia. Praecipue baryecoia saepe cum haemorrhoidibus, ceterisque alvi morbis complicata videtur.

Secundum qualitatem cophosis nervosa erethica et torpida distinguitur, quarum prima semper cum sonitu aurium vel ab initio vel postea sensim exorto et crescente conjuncta est. Sunt, qui vituperent hoc erethismi nomen, qui potius in audiendi facultate praeter naturam aucta cerni debeat; attamen pathologia illam baryecoiae significationem acceptam vult, quia in susurro nervi acustici functioni quasi major vitalitas allata sit. Fere semper una auris sola aegrotare sensim inchoat, ita ut saepe ab ipso aegro malum non prius cognoscatur, quam altera jam surditate affecta. Etsi tarde crescit morbus, tamen summam molestiam denique creare solet.

Auditus sonitus est varius: aut susurrus, aut tinnitus, vel aliis strepitibus magnis instrumentis effectis similis. Malum saepe intermittitur: diebus serenis, aëre sicco, animo libero, abstinentia diminui quidem videtur, sed paulo post in pejus redit, praesertim quum aures aliave corporis pars refrigerationi expositae fuerint. Aliquando denique surditas completa exsistit, quo facto sonitus, ut ait Kramer, subito desinit. Duae aures postremo aegrotant neque unquam una erit surda, dum altera plane sana sit.

Torpida surditas ullo sonitu caret ac nervus acusticus summum torporem contra irritamenta externa acustica in ea exhibet. Aegri illa affecti va-

letudo animo aequo, tranquillo, post coenam, spirituosis potibus excitata, vesperi, magno aëris calore melior fieri solet. Tamen hoc morbi genus magis in surditatem completam inclinare videtur.

Erethica et torpida autem cophosis distinctis finibus non terminantur, nam Berg et Kramer therapeutis id praecipue adnotandum esse contendunt, saepissime utra sit, sciri non posse, quum erethica per multos menses sonitu egeat, postea vero vehementer ab eo vexetur in eodem surditatis gradu. Hoc quoque ab omnibus medicis observatum, erethismum intra curam in torporem mutari et vice versa.

Decursus baryecoiae nervosae, ut e supra dictis patescit, valde tardus est. Tempore suo quum auxilium non affertur, tum longinqua fit, denique celerius usque ad ultimum surditatis gradum progredi solet.

Quod ad prognosin attinet, ea secundum causas et constitutionem aetatemque hominis, secundum qualitatem et gradum morbi instituenda est. Omnes medici instant atque urgent, ut quam primum medicina contra malum adhibeatur: imprimis Kramer curae cordique fuit in omnibus scriptis communi judicio accommodatioribus, ut summa eloquentia hujus rei auctoritatem dignitatemque quam maxime demonstraret. Talis enim jam baryecoia, quae leviorem colloquendi rationem difficilem reddit, mox aures aegrotantes tanta negligentia cognoscendae vocis humanae afficit, quanta vera auditus convalescentia

postea non intelligitur. In causis illis ab Itard enarratis prognosis fere sine dubio constituta est, quae sane tum, quando nihil nisi refrigeratio antecessit, opportunissima erit et quidem magis erethicae quam torpidae, quamvis Kramer illius curam multo difficiliorem esse contendat. Berg autem, qui duas formas fere eodem modo tractat, ab hac sententia discrepat. Priori aetate usque ad viginti annos summam spem de cura habere medicus potest, postea vero prognosis semper dubia.

Curam surditatis nervosae medici quam maxime exercebant. Necesse est causarum imprimis ratio habeatur. Haemorrhagiae suppressae restituendae, vermes intestinales sive alia molimina ex alvo emittenda, nervorum systematis anaesthesia curanda. Saepe malum causis remotis cessat. Attamen hae plurimis casibus nullae cognitae sunt, nec tum alius morbus invenitur, qui per metastasin baryecoiam effecerit. Ibi medicina valde in experimentis versatur. Antequam anatomia organi auditorii Duvernoy magna cum diligentia ac perfectione inter omnes anatomicos maximam gloriam sibi paraverat, itaque pathologiae novam latioremque viam ostenderat, solis medicamentis drasticis sive antirheumaticis, ut guajaco, stibio aurantiaco, calomelane, setaceis, vesicatoriis et caeteris curam perficere conabantur. Hippocrates jam dixit: quibus surditas biliosis egestionibus cessat, et Celsus: nihil plus adversus surditatem quam biliosa alvus potest. Haec

vero remedia purgantia et derivantia in rarissimis tantum casibus utilitatem et aegrotis et medicis allatura sunt.

Ex contrario illa, quae ad ipsas auditus partes admittebantur, omnibus temporibus facilius mala removebant. Quamobrem hac aetate medici summo studio in eorum applicandorum ratione versabantur. Deleau[1]) et Saissy[2]) et Itard primi vaporum usum adhibebant. Kramer, Berg, Wolff apparatus, quibus in aurem ducuntur, simpliciores melioresque fecerunt, quorum omnium formam constructionemque si his enarrare vellem, dissertationis modum excederem, praesertim quum plerique diligenter explorati reprehensionem majorem quam laudem abstulerint.

In applicandis apparatibus praecipue erethicae et torpidae surditatis varietatem animadvertendam esse, ac secundum unam vel alteram qualitatem eligendas materias, e quibus vapores fierent, horumque volumen et calorem constituenda therapeutae praescripserunt. Sed Berg nuper, quum hujus varietatis diagnosis non solum difficillime definiri, verum etiam interdum duobus morbi formis conjunctis tolli posset, curam paene eandem fore ostendit. Erethismum enim et torporem superioribus temporibus — etiam nostra aetate Wolff hac opi-

---

[1]) Deleau, Introduction à des recherches pratiques sur les maladies de l'oreille. Paris 1832. 8.

[2]) Saissy, Essai sur les maladies de l'oreille interne. Paris 1827. 8.

nione ducitur -- affectiones plane contrarias putabant, quamobrem therapia curandi rationem quoque contrariam adhibere debebat. Torpor medicamentis irritantibus curandus, ad excitandam semioppressam aut debilitatam functionem nervorum, erethismus sedativis. Ut supra jam demonstravimus, minime malorum horum fines ita praecipites interrumpuntur, sed unum potius alterum consequi videtur.

Vapores, qui e tuba Eustachii nervum acusticum affecturi sunt, tali modo in aurem internam perducuntur: In catheterem quendam aut argenteum aut elasticum per meatum inferiorem seu medium nasi usque ad tubae ostium missum et Krameri vinculo frontali in capite deligatum tubulus elasticus inferatur cum apparatu conjunctus, e quo vapores exhalentur. Itard in cratere metallico fervente aetherem aceticum exhalantem adhibet. Quum autem facile materiae metallicae hoc modo ita dissolvi possent, ut vapores alias aeris species irritantes in cavitatem tympani effunderent, Kramer aetherem in vitro quodam tantum exhalari et aqua sensim incidenti expelli optimum esse dixit. Hic vaporum copiam atque intensitatem tota in potestate nostra esse ostendit. Quo magis affectus erethismo nervus est, eo minor vaporis quantitas adhibenda.

Aetheris loco Wolff in baryecoia erethico-nervosa vaporibus ex extracto hyoscyami paratis utebatur, quorum de dignitate et vi salutari Berg multa

experimentis accuratissimis probabat. Ille catheteris argenteis loco elasticum in nares inducere solet, metallici usu permultos aegros abhorrere ratus. Quum hoc vero fere numquam, ut Kramer et Berg saepissime observabant, nisi in hominibus valde irritabilibus videatur, neque perspici possit, quonam modo vapores in tubam et tympani cavitatem proficiscantur, semper argenteus praeferendus est. Tum Wolffii apparatus in constructione sua complura praebet incommoda: compositus enim esse lamina, quare numquam, quanti vapores nec quanto calore exhalentur, dispici potest; postea idem, quod ex Itardi cratere metallico, pertimescendum est.

Berg alium apparatum vitreum e coctionis refrigerationisque partibus compositum ingeniose et ita quidem constructum adhibet, ut totus processus diligenter facileque observari ac regi possit. Quum mihi fines terminique operis hujus constituti sint, extra quos egredi non possum, apparatum describere nolo, praesertim quum Berg ipse in collectaneis suis de therapia surditatis nervosae accuratissime eum demonstrarit. Attamen hic vir praeclarus Krameri apparatu minime repudiato multas aegros in integrum restituit. Aethere acetico contra torporem utitur in eodem suo apparatu, hyoscyami extracto contra erethismum: haec quidem sola therapiae ejus varietas est.

Hujus methodi autem applicatio omnibus, sin homines aegroti facile excitantur, alternis diebus

per horam dimidiam fiat et quidem usque ad revalescentiam, quae variis aetatibus morbique gradibus saepe post duas seu tres sessiones, interdum post menses aliquot affertur.

Si tabulas a Kramer et Berg de aegris ab ipsis curatis scriptas comparamus, sonitum quidem plerisque ereptum fuisse videmus. Quanti momenti haec res sit, ab omnibus erethico-nervosis aegrotis audient medici. Nam sunt, qui susurro tinnituque continuo aurium ita perturbantur, ut paene dementes ad voluntariam mortem propulsi sint, id quod Itard et Berg enarrant.

Praeter haec remedia ad partes ipsas aegrotas adhibita etiam instillationibus oleorum aethereorum, lactis materiis narcoticis infusi utebantur, sed ut jam in otalgia exponenda dictum est, non solum minime certis, verum etiam periculosissimis. Si vero res postularit, aqua calida seu lac ad cerumen induratum solvendum injiciatur. Quin etiam Krebs virum quendam surdum, cui arnicae species praescripserit, sane propter falsum auditum hoc infuso in meatum auditorium illato in integrum restitutum esse narrat. Quod autem, quum singulariter factum sit, pluribus etiam experimentis probandum.

Vires quoque electricae et magneticae, per unum prope seculum in medicinae arte summis laudibus ad coelum elatae, jam diutius contra surditatem auxilium ferre dicebantur. At auditum plane corrumpere videntur neque ullus medicus illorum, quos supra

nominavi, eas adhibere audet. Kramer[1]) in libro quodam uberius de earum incommodis scripsit.

## *De surditate congenita.*

Sane necesse est, hic nonnulla de surditate congenita dicam, quia semper cum linguae infantia complicata est, ignorantibus enim infantibus, qui nec suam neque aliorum vocem audire possunt, quo consilio lingua ori ingenita sit. Etiam magnam utilitatem afferremus therapiae et pathologiae, si tradere possemus viam illam curandi optimam.

Quibus causis infantibus et auditus negetur itaque sermonis usus interdicetur, fere nescimus. Nam id quidem semper affirmari non potest, infantem natum esse surdum, sed quin passim prioribus vitae annis nervi acustici paralysis fiat, non dubito. Itard recte dicit, parentum pietatem indulgentiamque surditatem congenitam minime confiteri ac concedere velle, verum custodis, nutricis, medici negligentiam accusare. Parentes igitur causas ignorant. Tamen cophosin ex utero genitam in multis familiis per successiones quasdam, ut alia vel filiis tantum relicta vel puellis, tradi invenimus. Utrum vero paralysis nervosum, an aliud exsistat impedimentum in labyrinthi et tympani cavitatibus, medicus omni studio paene numquam perspiciet.

Itard, qui complures infantes surdos mutosque post mortem secabat, saepenumero easdem causas

---

[1]) Dr. W. Kramer, Beiträge z. Ohrenheilk. Berl. 1845. 8.

inveniebat, quibus et apud adultos cophosis fieri solet, ut concrementa calci similia, pseudoproductiones e membrana tympani cum ossiculorum destructione, nervos mucosos.

Etiam condensatam cute inversa membranam tympani observabat Fabricius ab Aqua pendente.

Si quae sequantur symptomata psychologica surditatem congenitam, diligentius demonstrare vellem, philosophorum et psychiatrorum artem in jure suo interpellerem.

Multum periculi mihi in curanda hac surditate versari videtur, quamvis Amatus Lusitanus puerum duodecim annorum adhuc surdum usu setacei, quo humoris cujusdam secretio ex capite remota sit, loquendi facultatem recepisse dixerit. Itard quoque complures infantes moxis et membranae tympani perforatione se in integrum restituisse affirmat; sed Kramer, omnia haec a scriptoribus illis enarrata exempla non curae medicinali, sed disciplinae physiologicae et psychologicae tradita fuisse ostendit, qua verba nonnulla infantes pronuntiare didicissent.

## III. DE PARACUSI.

Quocunque valetudini incommodo modo soni a nervo acustico percipiuntur, medici superiori aetate paracusin nominabant, quapropter Itard, definitionis hujus dubio commotus, talem posuit divisionem:

1. Auditus exaltatio, recte paracusis seu hypercusis dicta.

Hac in affectione nervi acustici perceptio imprimis acutorum sonorum dolorifica est nec diagnoscere quae audiverit, aegrotus potest, sonorum singulorum loco strepitus clamoresque intra concham et meatum auditorium, etiam in capite sese audire existimans. Id malum surditatem completam antecedere solet, atque saepe in hysteria et hypochondria nonnullisque aliis aurium morbis observari.

2. Auditus depravatio.

Aegroti strepitus complures audire se putant, qui aut in aure, aut non procul ab ea, aut minime, aut aliorum echo continua fiunt. Id nominatur aurium sonitus. Praeterea soni a singulis auribus varie percipiuntur, quod Itard anomalias acusticas nominavit.

*a*) De sonitu.

Aut strepitus, aut tinnitus, aut susurrus, aut sibilus, aut aquae fremitus, aut tintinnabulum et caetera audiri putantur. Fere semper audiendi facultate diminuta, utrum consecutum sit alteram, difficillime probari potest. Otitide vel otorrhoea vel aliis aurium strepitibus antegressis sonitu per dies non audito, neque auditu in melius restituto, aliisque capitis malis praesentibus, surditatem sonitu non effectam esse credit Itard. Contra si carotide oppressa cessant sonitus ac surditas, aut haec jam sine illa manipulatione, tum sonitum baryecoiae cau-

sam esse. Quamobrem verum et spurium sonitum distinguit; illum strepitibus in aure interna, id est arteriarum dilatatarum pulsatione, hunc nervi acustici anaesthesia, tamquam aut sympathica aut idiopathica effectum. Sonitus spurius per longum tempus saepe intermittitur, congestionibus neque auctus nec minutus, praesertim apud homines praesens, qui auditum explosione quadam forti seu strepitu longinquo, ut aquae desilientis seu molae aquaticae perdiderunt, tum apud mulieres hystericas, quae interdum animalium vel hominum voces, aliosque sonos phantasticos se audire opinantur; denique ubi alvus tarda, haemorrhagiae, rheumatismus, arthritis exstant.

*b*) De anomaliis acusticis.

Itard hoc nomine illam audiendi rationem designat, quae auditus facultate depravata sonos certos moleste fert. Cantatorem quendam suam ipsius vocem acutam minime dignoscentem, feminam omnes sonos levissimas acute audientem cognovisse se narrat. Ac quisque in se ipso animadverterit, interdum sonum quendam in una aure octavo intervallo, in altera primo, aut suam vocem tertiis seu quintis in capite resonare.

Omnium horum incommodorum causae, ut diximus, raro vel numquam intelliguntur, qua ex re therapiae summae difficultates obmoventur. Saepe eo celerius cessare solent, quo magis subito surgebant. Applicabantur a multis medicis setacea, mo-

xae, vesicatoria, derivantia, irritantia, sed quamvis interdum bona, minime tamen certa remedia sunt. Quin etiam plus ars physiologica fecit, quam **Itard** ita adhibebat, ut strepitus auris similibus externis fortioribus removeret.

# VITA.

Natus sum Guilelmus Fridericus Augustus Ziegel, evangelicae fidei addictus, die XXVII mens. Aprilis anni hujus seculi XXVI Berolini, patre Friderico, matre Rebecca, e gente Hamann, quos adhuc vivos ut Deus Optimus Maximus perdiu incolumes servet, maxime precor.

Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium regium Fridericum Guilelmum, directoribus beat. Spilleke, viro doctissimo, humanisso, postea Cel. Ranke, per sex annos frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus mens. Aprili anni MDCCCXLIV inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani sum receptus. Anno sequente vero almam hanc Universitatem Fridericam Guilelmam adii et mense Aprili ab Ill. Hecker, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, apud Ill. beat. Wagner, t. t. decanum facultatis medicae spectatissimum, nomen professus sum.

Per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Ill. Link de botanice et historia naturali; Cel. Preufs de historia; Beat. Turte de physice; Ill. Mitscherlich de chemia anorganica et organica; Ill. Weifs de mineralogia; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia; Ill. Mueller de anatomia universa. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm mihi duces fuerunt.

Praeterea has frequentavi scholas: Ill. Schultz de materia medica; Cel. Eck de physiologia generali; Ill. beat. Wagner de medicina forensi; Ill. Juengken de chirurgia speciali.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, syphiliticis, medico-forensibus, obstetriciis interfui virorum Ill. et Cel. Dieffenbach, Juengken, Wolff, Wagner, Schoenlein, Schmidt.

Omnibus his viris aestumatissimis quam possum maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

# THESES.

1. **Morbus communis est mors.**
2. **Febris morbi umbra est.**
3. **Surdi et caeci eisdem vexantur incommodis.**
4. **Medicus forensis non verus medicus.**
5. **Vires electricae nervis sensitivis aegrotantibus plus nocent quam prosunt.**